DISPUTATIO POLITICO-JURIDICA
INAUGURALIS,
AD

Selectas quasdam de Legibus Materias;

QUAM,
DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

CORNELII VAN ECK,
J. U. D. & Civilis, atque Hodierni Juris
Professoris Ordinarii;

NEC NON
Amplissimi Senatus Academici consensu, & Subtilissimae
Facultatis JURIDICAE Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,
Eruditorum Examini subjicit

WILLEM DUIRKANT, Husstadio-Batav.

Ad diem 30. MARTII, *loco horisque solitis*.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiae Typographi. cIɔ Iɔ cc xvi.

NOBILISSIMO AMPLISSIMO

AC

GRAVISSIMO

VIRO

D. D. NICOLAO DUIRKANT,

URBIS ET INSULÆ THOOLÆ BAILLIVO PRIMARIO, RERUM SACRARUM COMITATUS ZELANDIÆ QUÆSTORI GENERALI, AGGERUM, QUI VIM MARIS REPELLUNT, PRÆFECTO, SUPERINTENDENTI, ETC. ETC ETC. PATRUELI CONJUNCTISSIMO

Hasce de Legibus Selectas Materias, & se ipsum, in perpetuam observantiæ tesseram, ea qua par est reverentia, inscribit & offert

WILLEM DUIRKANT, Auctor.

DISPUTATIO POLITICO-JURIDICA
INAUGURALIS,
AD

Selectas quasdam de Legibus Materias;

PRÆFATIO.

Cum per aliquod tempus Themidi litassem, & tandem sacris ejus me initiari desiderassem: ad illud dignitatis culmen attingere non potui, quin solenni me examini subjicerem, & specimen aliquod laborum (Disputatio vulgo audit) ederem. Quod, ut verum fatear, diu me hæsitabundum detinuit; conscius enim infantiæ, & exiguarum ingenii dotium, quibus me parca donavit Natura, perpendere mecum facile potui, me plerisque, si non omnibus, risui & contemptui fore; præterea plerasque juris materias a prioribus mihi esse præreptas, ita ut arduum videretur utilem & fertilem, modo aliis Dissertationibus non decantatam, Dissertationem congerere, quæ fere me deterruissent. Hæc tamen omnia me avertere haud potuerunt, cum indies numerum Doctorum crescere viderem, tum quod a juvene, nisi me feliciori sub sydere nato, magna expromi non possint. Quæ desunt itaque, suppleat, quæ supersunt detrahat, quæ minus recta, corrigit, Benevolum Lectorem oratum velim. Materiam autem hanc

de Legibus totam Juridicam explicare propolueram, nisi in geminam optimam eique nihil addendam, & jam aliquot annos, annis 1677. & 1680. conscriptam Disputationem incidissem. Quare mutare consilium, ne alienis niteremus pennis, & Juridica Politicis & Philologicis immiscere, tum propter necessitatem, tum delectationem, consilium visum fuit. Non vero hoc, opus nostrum, sed ex doctorum virorum seriois collectum & digestum ingenue fateor, maxime contentus, si solenni ritui satisfacere valuerim.

C A P U T I.

Etymologia & definitio Legis.

Cum ordine procedendum sit, necesse visum fuit nobis Etymologiam præmittere, ut sciamus unde originem suam *Lex* habeat. Sunt qui derivant a *legendo* Perott. cornucop. *Lex a legendo dicitur, quod publice legatur, ut omnibus nota sit, & ab omnibus observetur.* Idem alio loco. *Lex quod publice legatur, ut universi eam observent.* Plurésque alii, quos omnes allegare instituti non sinit ratio. Alii derivant a *Ligando*, quia hominem obligat. Græcis νόμος, quam vocem a νέμειν derivant, & *tribuere* denotat, quia suum cuique tribuit. *Cic. 2. l. 13. Lex est justorum injustorumque distinctio ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt, ac tuentur bonos.*

Hæc vero vox *Lex* cum variis modis, & vario sensu accipiatur tum ab JCtis, tum a Philologis, hæc etiam in transitu animadvertemus, ne justæ Dissertationis formam solennem prolixitate omnium rerum egrediamur. Lex latissime denotat omne jus divinum & humanum. Pro lege naturæ *Cic. 1. l. 18.* pro *Milon. 10. Orat. 165. 1. l. 19. & 2. l. pr. Lex est ratio insita a natura.* Frequentiori usu Lex sumitur pro Jure Civili, & ita etiam Consuetudinem complectitur. *l. 33. §. 1. ff. l. l. 6. §. 1. ff. just. & jur.* cujus legis verbis utitur etiam Imperator, § 3. *I. J. N. G. & C.* his verbis: *constat autem jus nostrum, quo utimur, aut scripto aut sine scripto: ut apud Græcos, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι, id est, legum aliæ (sunt) scriptæ, aliæ non scriptæ.* Hinc tamen male nonnulli scripturam facere ad

ad essentiam (sit venia verbo) legis colligunt. *l. 32. § 1. ff. ll.* Neque sententiæ nostræ adversatur *l. 8. C. ll.* cum scriptura sit modus manifestandi, servandique leges. Sumitur etiam *lex* pro Jure Civili scripto, & ita a Consuetudine differt. Jus scriptum subdividitur in sex species, quæ omnes legis nomine insigniuntur. *§ 3. I. J. N. G. & C. scriptum autem jus est lex, plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, magistratuum edicta, & responsa prudentum.* Vide *Rebhan Hodeget. jur. p. 55.* qui has omnes ut & sequentes hujus vocis significationes probat. Per excellentiam *legis* nomine veniunt leges XII. Tab. Vide præter dictum *Rebhan. Rittershus. ad d. § 3.* Aliquando *lex* occurrit pro Privilegio, quia est priva (ut antiqui loquebantur) id est separata, singularis lex. Denique lex est pactum, conditio, & modus, ut sumitur in *t. t. ff. leg. Commissor. l. 1. § 23. ff. Aq. pluv. arcend. l. 39. ff. Pact. & 23. ff. R. J.* Nos autem in hac Dissertatione accipimus *legem* pro omni Jure Civili, excepta sola Consuetudine.

Definitio *legis* exstat in *l. 1. ff. h. t. lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum: delictorum quæ sponte vel ignorantia committuntur coercitio: communis Resp. sponsio.* Prolixiorem qui desiderat, legat *l. 2. ff. eod.* Sed quia plurimæ definitiones in jure potius descriptiones merentur dici, melius definitur *lex*, *quod sit sanctio ad Resp. bonum lata, omnes subditos obligans.* *Sanctio* autem proprie est ea legis pars, qua pœna in delinquentes statuta est: ita ut h. l. *Sanctio* sumatur pro constitutione sanctione quadam munita. *l. 41. ff. pæn.* Quod ad Resp. bonum feratur lex, nemo sanæ mentis negabit, ideoque in hoc adstruendo inutilem navaremus operam: cum teste *Polydor. Virg. 2. Rer. invent. 2. sine lege nulla Resp. consistere possit. Lips. 3. Variar. Lect. 28. Audan. l. 2. epigr. 6.*

Lis genuit leges, legum lis filia, vivi
Non sine lite solet, nec sine lege potest.

Cic. 2. ll. constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam conditas esse leges. Denique addo verba *Doctissimi D. Gulielmi van der Muelen, Viri, qui pauces in omni eruditionis genere pares habet, in dissertatione exquisitissima ad Pomponium de Orig. Jur. Magistratus & æqua leges, sine hisce insanit & furit semper bellua illa multorum capitum, servant Rempublicam.* Quod lex omnes subditos obligat, docet nos Ulpian. *l. 8. ff. ll. jura in singulas personas, sed generaliter constituuntur.*

CAPUT II.

De Origine legum, & quinam Rom. leges dederint.

Utilitatem, præstantiam, imo necessitatem legum ostendere ex professo non vacat: & qui eas videre cupit, videat *Jun. Quæst. Polit.* 3. His itaque missis, in originem Legum inquiramus. Quod ut ordine, quantum possumus, fiat, præmittemus ea, quæ de origine legum Rom. alii que senserunt. In genere omnium huc redit sententia, quod leges latæ sint a Diis, vel ab hominibus Deorum instinctu: variisque, ut sæpe solent, Diis ortas leges adscribunt. Quidam Baccho, nonnulli Saturno, alii Mercurio aliisque Diis, plurimi vero Cereri. Videamus itaque quæ sit Ceres, quando vixerit, quibusque leges dederit.

Ceres dicitur Saturni & Opis filia, *Hesiod. Θεογον. vs.* 434. Soror Jovis, Junonis, Neptuni & Plutis: quæ a Jove compressa genuit Proserpinam filiam pulcerrimam, quam adsit Pluto & rapuit. *Hesiod.* 912. Ceres autem cum raptam filiam quæreret, & per totum terrarum orbem vagaretur, dicitur leges & culturam docuisse Triptolemum in Eleusinio oppido: unde *Θεσμοφορια & Eleusinia* sacra vocantur. *Rosin.* 2, 11. *Ovid.* 5. *Met.* 341. *Virg.* 4. *Æneid* 58. *Ovid.* 5 *Met.* 642. hinc *Ambarvalia Sacra* in honorem ejus instituta, de quibus vide *Servium ad Virg. ecl.* 3, 77. hæc aliaque plura latius apud *Gyrald. Hist. Deor. Syntagm.* 14. aliosque Antiquarios.

His præmissis, reliqua, quæ de Cerere agenda restant, facile evolvenda sunt; si hanc fabulam bene examinemus, & ad veram historiam traducamus. Nullam enim antiquorum fabulam, quæ non veram aliquam historiam contineat & adumbratam habeat, (quicquid alii, qui fabulas rejiciunt, & nugas, aniles que historias habent, obloquantur) credimus. Vide *Almeloveen Amœnit. Theologico-Philol.* p. 151. ubi fabulam Scyllæ præcidentis crines patris, a quibus tota salus & conservatio urbis & regni dependebat, traducit ad historiam Delilæ tondentis crines Simsonis: *Judic.* 16. 17. & sæpius alii. Vide etiam *Thysium exercitat. Miscell.* 3. in qua fusius probat, ea, quæ Sacra pagina nobis exhibet, plurima gentilibus nota, & fabulis involuta fuisse. Unicum exemplum Lector petat ex *Ovid.* 8. *Met.* 4, *vs.* 611. *ad* 698. *sive fabulam* 7. *lib.* 8. Idem dicit *Consultissimus vander Muelen ad Pompon.* § 2. *l.* 2. *ff. Orig. Jur.*

Ut

Ut autem fabulam hanc exponamus, notandum, quod Græci (unde Romani leges suas hauserunt *l. 2. §. 4. ff. O. J.*) fuerint admodum superbi & mendaces: qui, qualecunque celebrius factum ab aliis audiverant, sibi & suis majoribus tribuebant. Sic se jactabant Aborigines, & Autochtones. Ita & hoc casu Cereri originem legum tribuunt, quod quidem forte verum; sed Cererem Athenis dedisse, falsissimum; eodem modo literas donum Cereris prædicant, vel ut alii, Cadmi: utrumque enim consistere potest: quia vel diversis in locis, vel diversis literis aut linguis docuere. lepide vero fabula Cadmi serentis Serpentis dentes, ex quibus confestim totus exercitus nascebatur, transfertur ad rixas, quæ per literas moveri solent. Nos vero (ut hæc paucis injungamus) literas Dei T. O. M. munus putamus. Literæ quippe linguam & vocem si non superant, saltem æquiparant. quid quæso magis mirari possumus, quam paucis adeo literis omnia, quæ in toto terrarum orbe occurrunt, designari posse? Literæ non tantum præsentibus, sed & absentibus, quod vox nequit, indicia animi exponunt. Quid in contractibus, testamentis, fœderibus, aliisque instrumentis, quæ fidem requirunt, præstent, omnibus notum, unde tritum illud: *Litera scripta manet, vox audita perit.* Literis enim omnia doctorum opera, oracula, leges, jura, & omnes denique disciplinæ, diutino tempore alioquin devoranda, intacta & illibata conservantur. *Diodor. Sicul. 12. Biblioth. Macrob. somn. Scip. lib. 2. cap.* 10. Nec nova hæc est opinio. Audi *Basilium epist. 55. ad Ambrosium. Magna semper quidem, & multa sunt domini nostri dona & c. unum vero, quod inter maxima reputari potest, hoc est, quod quam longissime propter locorum distantiam sejunctis per literarum alloquium mutuo coalescere dedit. Largitus est autem duplicem cognoscendi modum, unum per præsentem convictum & congressum, alterum per consuetudinem literariam.* & *Petrum Gregorium Tolosanum 16 de Rep. cap. 2. Divinum miraculum certe, ut ex 24. notis, & iisdem apud aliquas nationes paucioribus, infinita vocabula, mentes diversa, contraria, actus omnium hominum, & ipsa cogitationes possim efficatius & perfectius quam ipsa pictura repræsentari: fitque scriptura ad perpetuam rei memoriam; conservat enim scriptura, quæ hominis memoria non potest complecti.* & huic adde *Heidegger. histor. Patriarch. tom. 1. dissert.* 16. §. 35. ubi postquam plurimos viros doctos recensuit, qui de origine literarum egerant, tandem ita dicit: *Confido, neminem cordatum mihi temeritatis notam præfigere ausurum, si cum magnis viris Adamo literarum in-*

ven-

ventarum, sequentibus Patriarchis earundem conservatarum gloriam vindicatum eam. Sethirarum literæ ab historicis memorantur. & *Johannes Annius pr lib. 1. not. Berof.* conjicit Enochum ab atavo suo Adamo edoctum fuisse literas. *Theodor Bibliand. commentar. de literis: primus homo & Patriarcha humani generis literas divina inductione reperit. Polyd. Virg. rer. invent. 1. 6.* unde secundum quorundam testimonium in bibliotheca Vaticana pictus invenitur Adam, supra caput literæ antiquæ Hæbraicæ, & ad pedes hæc inscriptio: *Adam divinitus edoctus primus scientiarum & literarum inventor.* Sic & literarum & legum primum auctorem Adamum facit Suidas in voce *Adam.* Scriptura vero antiquissimis temporibus erat rarior. Vide Eruditissimum *Perizonium animadvers. histor. cap. 5.* & hoc admisso, facile conciliantur omnes, qui ad posteriora tempora literarum originem, id est, frequentiorem usum referunt. Latius qui literas indagare & investigare voluerit, evolvat *Hermannum Hugonem in tractatu de prima scribendi origine & rei literariæ antiquitate.* Hæc in transitu, ut canis ex Nilo, de origine literarum. Redeamus igitur in viam a qua aberravimus; & detegamus mendacia & elatam tum Græcorum tum Latinorum superbiam. Sic de origine literarum *Annius Viterbensis in libell. Xenoph. Iberi igitur, Samothes, & Tuiscones, patres literarum inveniuntur ante Græcos plus quam mille annis, ut Aristoteles in Magico, & Zenon vere asserunt; & non Græci, ut Ephorus mendax, &c.* Idem testatur *Boxhorn in explanat. ad lib. 2. Instit. Politic.* qui ibid. citat Tertullianum, qui Tacitum alibi vocat, *loquacissimum mendaciorum scriptorem.* Fusius hæc tractat *Stillingfleet Origin. Sacr. lib. 3. cap. 4. §. 10.* & sequentibus *lib. 1. cap. 1. §. 20. Perizon. animadvers. Histor. cap. 5. & 6.* Sic ex gr. quis fidem dabit *Curtio lib. 9. cap. 5.* ubi Alexander fertur manu admodum exigua potentissimum sibi subjecisse Darium: quoniam hostes tot si vincti ut victimæ stetissent, occidi vix potuissent. Simile mendacium de Themistocle nobis obtrudit Justinus, qui etiam paucis militibus fuderat omnes Xerxis copias. Hanc similemque historiam in se quidem veram non diffiteor; sed existimo Græcos suas diminuisse, hostiumque auxisse copias, ut inde major in gentem suam laus redundaret. *Rupert. ad Besold. cap. 4.* Sic etiam hoc loco Ceres leges invenisse (si inventum sit humanum de quo infra) dici posset; sed falsum est eas dedisse Græcia. Chronologi enim & Mythographi, si consulantur, monent eam Græcis esse antiquiorem. Ceres enim eadem est,

quæ

quæ Isis *Lips. de Cruce lib. 1 cap. 5. Apulej. lib XI. Metamorph. p. 243. Me Primigenii Phryges Pessinunticam vocant Deum matrem, hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam, Eleusinii Vesculam Deam Cererem, Junonem alii, Bellonam alii, Hecaten alii, Rhamnusiam alii, & qui nascentis Dei solis incheantibus radiis illustrantur Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii, ceremoniis me (prorsus) propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Isidem. Euseb. 2 praparat. Evang. 1 Ajunt Ægyptii Osirim esse Bacchum, Isidem vero Cererem.* Sic Isis eodem modo ut Ceres dicitur invenisse fruges *Tertull. coron. milit. Prima Isis repertas spicas capite circumtulit.* & Cererem Isidem vocat *Ovid. 1. Amor. eleg. 8. vs. 73.*

Sæpe nega noctem, capitis modo finge dolorem,
Et modo, quæ causam præbeat Isis erit.

Ubi agit de Eleusiniis sacris, quæ nocte peragebantur. Hæc Isis ab omnibus refertur inter primos Ægyptios; Ægyptios Græcis longe antiquiores quis negabit? imo Ægyptiorum regni jam mentio fit *Genes.* 12. & regnum, ut superiori cap. dictum, sine legibus nullum; teste *Polyd. Virg. 2. rer. invent. cap. 2.* Itaque forte non errabit, qui Isidem uxorem Osiridis, nurum Noachi dixerit. Osiris idem cum Thamo, cujus mentio fit *Ezechiel 8, 14.* qui secundum plurimos idem cum Jove Hammone. *Macrob. 1. Saturn. 21.* Jovem vero Hammonem eundem esse cum Chamo a plurimis recepta est sententia. Vide *Hornium ad Sulp. Sever. Sacr. hist. lib. 1. cap. 5.* Ratio autem, quare Chamum ejusque uxorem aliosque Majores pro Diis coluerint, facile iniri potest: omnia enim ab iis acceperant, ex. gr. cultum divinum, diluvium, peccata diluvio interitorum, plurimasque artes ab illis non quidem inventas, sed quæ in præterito mundo exstiterant, quasi postliminio reversas, ut literas, agriculturam, aliaque; inter illa vero, nonnulla exstitere humanum captum superantia; hinc ad divinitatem eos extulerunt. Illud autem an statim fecerint, in aliam ab eo regressi regionem, vel Chamo dudum exstincto, aliis relinquimus. Vide *Anonymi cujusdam observat. in Natal. Comit. Mythol.* Quod vero per Solem coluerint Chamum, per Lunam ejus Uxorem, convenire videtur cum opinione quorundam Philosophorum, qui putabant animam esse igneam quandam substantiam. *Serv. ad Virg. 1. Æneid. 96.* (qui locus quomodo con-

 veniat

veniat eum eodem *Virg 6 Æneid.* 337. Vide apud *Petr. lib. 3. observat. cap.* 22.) *Virg.* 1 *Georg* 5. Et summa omnium Ethnicorum Numinum huc redit: quod scilicet omnes Viros egregios aliqua arte, invento, Heroes aliosque similes post obitum in Deorum numerum retulerint *Polydor Virg rer Invent lib.* 1 *cap* 1. Hinc tanta confusio & multitudo Deorum *Corras quasi Epistolae cap.* 31 Et præcipue Ægypti erant superstitiosissimi, qui omnibus fere rebus cultum divinum exhibebant; eos ridet *Juvenal Sat* 15. Rationem autem proximam, quare Solem coluerint, quia scilicet nihil Deo proximius inveniebant, omittimus. Omnem vero vel saltem maximam superstitionem hoc modo ortam credimus: quod nempe Majores omnem veri Dei cultum abrogarunt, vel saltem densissimis ignorantiæ nebulis obtegerunt, ita ut fictam illam religionem induxisse videantur tantum ad conservandam & augendam majestatem, deprimendos & in potestate retinendos subditos. *Cic* 1 *Divinat* 95. *Quis vero non videt in optima quaque Rep plurimum auspicia, & reliqua divinandi genera valuisse. Quis Rex unquam fuit, quis populus, qui non uteretur prædictione divina? Neque solum in pace, sed & in bello multo etiam magis: in quo majus erat certamen, & discrimen salutis* &c. Elegans autem eo sensu est verbum *uti* Sic Alexander *usus est oraculo* cum nodum Gordium solveret *Justin lib* 11 *cap* 7. & bene alibi *Curt nulla res efficacius multitudinem regit quam superstitio.* Sic Numa Pompilius, ut legibus vim adderet, Deam Egeriam finxit earum auctorem *Flor.* 1 2 *Ovid.* 3 *Fastor* 274. plurimaque talia exempla ad illum, similesque locos adducunt viri docti & hoc Politicam sapit *Boxhorn explan ad lib.* 1 *Instit Politic. cap.* 15. Omnium tamen evidentissimum exemplum nobis Romanorum auguria præbent: sæpe enim eveniebat, ut duo Augures eodem die, de eadem re Deos consulerent, ut hic felix, ille infelix omen vidisset. Ratio vero hujus rei erat, quod huic res agenda placeret, alteri displiceret. *Cic.* 2 *Divin.* 33 2 *Natur Deor* 3 2 *Philipp.* 32 2 *Divinat* 23. Sed hæc omnia ficta fuere a prudentioribus; qui ipsi lumine naturæ eo pervenerunt, ut verum & unicum Deum præ cæteris Diis agnoscerent *Cic Natur. deor* 2 *cap* 4 & *Chrysippus apud eundem Cic* 2. *Natur. Deor. cap.* 2 *vel* 3. *Si enim (inquit) est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certe quod illud efficit homine melius: atque res cælestes, omnesque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non*

possunt

possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris quam Deum? etenim si Dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantia est. Ergo est aliquid melius, est igitur profecto Deus. Quis, quæso, si vim argumenti æquo ponderet judicio, non miratur Ethnicum a Deo vero alienum, duce naturæ eo venisse, ut plurimos Christianos in probando Deo contra Atheos, si non superat, saltem æquiparat.

Redeamus jam ad initium, ubi Baccho, Saturno, Mercurio aliisque Diis ortas leges adscribi diximus. Hoc enim non mirum: cum, ut jam occasione literarum diximus, diversis oris quis forte dederit; vel abolitas ab aliis leges revocarit. Præterea fabulam omnem ex asse cum vera historia convenire non diximus: plurimos enim Bacchos, Mercurios aliosque habuere. Fit etiam verosimile hos omnes, cum viderimus qui his adumbrati fuerint, leges dedisse. Sic sub persona Bacchi & Moyses & Noachus, latere videntur. Bacchus dicitur bis genitus, *Ovid. 3. Metamorph. 317.* Sic & Moses primum ex matre, dein ex flumine: Sacrificia invenit, & Deorum cultus. *Ovid. 3. Fastor. 726.* Sic & Noachus *Genes.* 8, 20. Invenit Bacchus vinum; idem & Noachus. Agriculturam docuit Bacchus *Tibul. 1. eleg. 8. vs. 28.* Sic & Noachus, cum post diluvium solus cum familia superesset *Genes. 9, 20.* Inventor Navigationis fertur Bacchus; quod respicit ad Arcam, quam ex præcepto Dei fabricaverat. Bacchus pingitur cornutus, sic & Moysen ferunt cornutum, *Exod. 34. vs. 29.* ubi vocem *splendor* verterunt *cornu*; in Oriente autem Reges pingebantur cornuti. *Gyrald. Histor. Deor. Syntagm.* 8. Bacchus forma omnes Deos superare prædicatur: Moysen etiam legimus formosissimum. *Exod. 2. vs. 2.* Bacchus debellavit Indos, sic Moyses Cananæos. India quippe olim vocabatur tota Asia. *Cuper. 4. observat. 7.* Reliqua Bacchi quomodo possint traduci ad veram historiam, vide apud *Euseb. 13. præparat. Evang. 12. & Clem. Alexandrin. 1. strom. p. 341.* De Mercurii cum Moyse comparatione nihil dicemus, nisi quod Mercurius Deorum ad homines nuntius dicatur, quod ex asse cum Moyse convenit.

Restant pauca de Saturno; sub cujus fabula nobis Adamus & Noachus venire videntur. Dicitur Saturnus Cœli & Terræ filius: ita Adamus a Deo ex gleba terræ creatus, Dei filius dicitur. *Luc.*

 3. 38

§ 38. Agriculturæ præest; sic Deus Adamum collocavit in Paradiso ad colendum & custodiendum eum: & postea ad colendam terram. *Genes.* 3. Saturnus cum Jovem fugeret, in Italia latuit, unde urbs Latium nomen suum sortita est: quod annuit historiam Adami, post lapsum a Deo vocati, cum se absconderet. Hic falce & vipera caudam dentibus tenente pingi solet: quod quidam ad tempus referunt: alii falcem ad mortem, pœnam peccati, & viperam tanquam indicium Serpentis Evam fallentis referunt. Sub hoc Deo aureum fuit Seculum, quod statum Adami perfectum innuit. Cum Noacho convenit. Saturnus tres habuit filios, Jovem, Neptunum & Plutonem; sic & Noachus Semum, Chamum, & Japhetum. Chamus est Jupiter; qui cœlum, id est, oram fertilissimam, Japhetus est Neptunus, qui mare, id est, loca maritima; Pluto est Semus, qui loca inferna, id est, peregrina ignota sortitus est. Jupiter patri falce virilia amputavit: quod involutam continere videtur Chami (vel ut alii rectius, Canaanis, ejus filii) historiam, qui patris vino somnoque sepulti pudenda fratribus detexit. Sic plurima alia adhuc de his aliisque Diis cum vera historia communia producere possem; sed quia, quantum possumus, brevitati, & materiarum vicissitudini studemus, hæc sufficiant. Vide *Bochart. Phaleg* 1. 1, *Tibull.* 1. *Eleg.* 3.

Transeamus itaque & inquiramus in originem Legum, nos, quibus contingere licet, eam non a veterum fabulis, & per adumbratas densissimisque tenebris involutas historias, quasi per speculum cernere; sed remoto velo in interiora penetrare. Nimis autem prolixum me fore existimabam, si omnium de origine Legum opiniones enumerarem: sufficiat nostram proposuisse & examinasse sententiam. Originem Legum concipimus simulac homines sese sociarunt. *Cic.* 2. *Il. paulo post initium.* *Urbes vero sine hominum coetu non potuissent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges moresque constituti: tum juris æqua descriptio, certaque vivendi disciplina, per quas bene, beateque vivitur, quas res & mansuetudo animorum consecuta, & verecundia est. effectumque, ut esset vita munitior, atque in dando, & accipiendo, permutandisque facultatibus, & commodis nulla re egeremus.* Et Imperator § 11. *I. Rev. div.* Nulla enim fingi aut pingi societas sine legibus potest. Legem vero & societatem donum Dei putamus. *Rom.* 13. 1. *Daniel* 2. 21. *Proverb* 8. 15. & 16. eodem modo, ut loquela donum Dei est. modus vero inventum hominis: sicut lingua Gal-

lica,

lica, Romana &c. inventum hominis est. Vide *Befold in Synops. Politic. praecogn* § 44. Quod vero ad originem societatis civilis attinet, nemo est, qui non videt eam contra naturam esse: homines enim omnes nascuntur homines aequales a natura, & par in parem non habet imperium: ideoque a natura prudens in stolidum aut stupidum nullum habet imperium. Origo itaque societatis Civilis ducenda est ab ipso jam lapsu Adami. (quae quomodo fingatur periode est) hic enim mandatum Dei egressus comedendo fructus vetitos, a summo illo, in quo a Deo erat positus perfectionis solio (omnia enim, que fecerat Deus, videbat admodum perfecta) postquam se ipsum dejecisset statim ejus oculi aperiebantur & videbat se nudum: quare etiam vocante Deo se ipsum abscondit, ita ut statim post commissum peccatum pudorem aliquem, dolorem & poenitentiam in Adamo reperire possimus. Videbat enim se ab omnibus, quibus ante abundabat, spoliatum fortunis: quarum tetrica memoria, & moestissima recordatio illum instimulavit & incitavit, ut omnibus viribus niteretur recuperare quod perdiderat: justitiam itaque & religionem amplectendam esse compertum habebat: secundum Poetam,

Utque alios alii de religione docerent,
Contiguas pietas jussit habere domos.

Hinc non immerito *Cic. 2. & 17. Religionem Proemium legum* vocat. Sed cum naturam duram, perversam, & indomitam experiretur; necesse fuit ei frenum injicere, & se conjungere, ut omnes simul aequitatem colerent, & delinquentes poenis afficerent; ideoque sese legibus & imperio subjecerunt, quibus non obtemperantes punirentur, ut corrigerentur, & ad meliorem viam reducerentur. Hanc veram originem societatis Civilis, Legumque putamus. Verboque nostram sententiam probantia *Doctissimi Schelii* addam *ex aureo suo libello Libertas Publica p. 44. Hoc enim praecipuum bonum communitatis, hic maximus fructus; quod homines invicem erudire ac meliores facere; quod innatam insculptamque in animos omnium notiones divini numinis excolere, & Deum alteri alterorum cognoscere & imbueri; quod denique sibi materiam virtutis praebere; & se communi sapientia a multis erroribus liberare possunt.*

Transeamus jam ad Romanos, & videamus, quinam illis leges dederint. Potestas legum ferendarum sub ipsis Urbis initiis penes Reges erat, eorumque voluntas pro lege observabatur. Unde ad-

hoc quædam leges Regiæ in Corpore Juris exstant; quarum mentio aliquando fit in Pandectis. Ut in *l. 2. ff. mort. inferend.* Quasdam harum legum collegit Sextus Papirius: unde jus Papirianum appellatur: ut apertis verbis hæc docet Pomponius in *l. 2. ff. O. J.* (in qua *lege* §. 2. pro *Demarati Corinthii filius* legendum, quamvis sub filio in jure contineatur nepos, *Demarati Corinthii Nepos* docet *Coras. Epist. quæst. cap.* 12. Exactis Regibus, sub libera Rep. legum ferendarum potestatem sibi reservarunt Romani, ut ex *Cicerone, Floro, Livio, aliisque* passim constat. Semper autem ferebantur leges in comitiis, id est, convocato toto populo. *Gell.* 15. 27. *Cic.* 2. *ll.* 12. Et quidem hoc modo: per tres nundinas lex promulgabatur. *Cic.* 2. *Philipp.* 5. & 5. 3. Dum ita proposita erat lex, viri graves populum ad concionem vocabant, qui vel suadebant vel dissuadebant legem. *Liv.* 34. *init. Cic. pro lege Manil. & pro lege Agrar.* Promulgata lege post tres nundinas, populus rogabatur his verbis VELITIS JUBEATIS QUIRITES HANC LEGEM FERRI. *Cic. pro Domo* 18. *Vinn. ad* §. 3. *I. de J. N. G. & C.* & ad eundem §. *Matthæus. Gell.* 5. 19. *Cic. pro Domo* 30. & populus respondebat tabulis, quibus inscriptum A. id est, *antiquo*, vel U. R. id est, *uti rogas*. Et istæ tabulæ in cistam colligebantur. *Vinn. ad* §. 4. *I. J. U. G. & C.* & apud alios Antiquarios. Quum vero Imperatores Remp. invaserant, sibi jus ferendarum legum reservarunt: & causam hanc prætexebant, quia difficilis admodum erat Populi convocatio: quod falsissimum; nam intestinis turbis admodum erat diminutus, ut ex historiis notissimum. Ideoque Senatum vice Populi consulebant. Quod non intelligendum est quasi jus, quod antea populi fuerat, jam Senatus haberet: hoc enim majestate Imperatoria indignum censeretur. Ut hoc pro more suo doctissime ostendit Vir Celeberrimus Petrus Burmannus, insigne rei literariæ decus & columen in Dissertatione exquisitissima De Vectigal. Popul. Rom. cap. 6.

Duplicis Reip. Rom. occasione videamus, quid præstet legum ferendarum, id est, summam potestatem *l.* 1. & *l. ult.* §. 1. *C. ll.* esse penes unum, vel penes plures, vel penes omnes; sive an prævaleat Monarchia, Aristocratia, an Democratia. Disputare autem non proposui, an detur imperium mixtum: tum quod paucissima imperia non mixta inveniantur; tum quod a potiori vel eminentiori forma nomen suum sortiatur. *Boxhorn. Explanat. Inst. Politic. lib.* 2. *cap.* 1. Videamus itaque primo Monarchiam.

C A-

CAPUT III.

De Monarchia.

Antequam vero in aciem descendamus, opus est ut moneam Lectorem, consulto Theocratiam prætermitti, cum homines ipsi sibi eam constituere haud possint. Præterea persuasum habeat, me ubi Monarchiam rejecero, omnem prorsus Monarchiam exulare non velle: inveniuntur enim gentes duro servitutis jugo ita assuetæ, ut quieta & placida illa Libertate frui nesciant *Tac. 4. Hist* 17 Nec statum Monarchicum, ubi viget, mutari volo. Omnis enim, ex sententia Politicorum, Reip. mutatio est periculosa & vitanda. Animus vero est tantum inquirere qui status sit optimus, non autem in se, tunc omnes sunt laude digni; sed quatenus plurimum administrantur Sub omni præterea statu supremæ Potestati, quamvis non sedulo & bene satis officio suo fungatur. 1 *Petr.* 2. 13. & 18. exacta debetur obedientia 1 *Sam* 8. *Rom* 13 *Tit* 3 1 *Petr* 1 2. 13. Quæ obedientia quodammodo limitatur, *Actor* 4. 19. Et talis obedientia videtur pœna peccati quædam; ille vero, qui male administrat, ultorem & acerrimum vindicem habet neminem præter Deum

Præmittamus Monarchiæ laudes; propter quas a quibusdam cæteris præferatur Inter ejus encomia refertur antiquitas, prima enim omnium, secundum plurimorum sententias, statuitur *Boxhorn. Explanat. Inst. Polit. lib.* 2 *cap* 1 Imo naturam ejus inventricem jactant, auctore *Senec Clement* 19 *Natura commenta est Regem* Et Regem jam sive regium imperium ab ipso Adamo repetunt, & hoc modo derivant Lapsu Adami genus totum humanum omni malitia & odio inquinatum, alter enim alterum oderat eique insidiabatur. ita ut difficulter invenirentur boni & probi: qui vero talis reperiebatur, Natura reliquis (illa enim omnia quæ ad sui salutem tendunt, avide amplectitur) fuit præpositus, ut justitiam nempe coleret; & hic eos in officio contineret Itaque optimus (inquiunt) obtinet optimum locum; quod æquissimum Ejusque rei illustrandæ gratia afferunt vestigia apium Sed quid Naturam inventricem dico? cum a statu Divino, quem Monarchicum perhibent, ejus præstantiam derivare non erubescant Quem in finem allegant exemplum populi Israelitici; qui proprius Dei populus, sibi enim ex omnibus popu-

lis

his hunc collegerat, eum, inquiunt, semper sub Judice aut Rege fuisse: quodcunque vero Deum habet auctorem, injustum quis prædicabit? Alii rationibus, tum propter vitia reliquorum Statuum, tum propter Monarchiæ virtutes ei palmam porrigunt. In Aristocratia & Democratia facilius quosdam posse corrumpi, putant: ita ut frequentes oriantur motus domestici; qui sub unius imperio non facile metuendi sunt. Præterea quod major in hac quam reliquis inveniatur majestas: meliusque uni quam pluribus obediatur, qui se plurium animis & ingeniis facile potest accommodare, ita ut plurimas præripiat belli intestini causas. Præcidit etiam intentionem eorum, qui sub reliquis Reip. formis imperium occupare in animum inducere voluerint. Salus (quod omnes omnino fatentur Politici) Reip. est concordia, quam magis in uno, quam pluribus consistere autumant. Imo licet reliquis non esset superior, nobis, ex illorum sententia, dictaret ratio, Monarchiam esse præferendam: ut enim homo unam habet animam; mundus solem. (qui ex sententia Alexandri nec duos soles, nec regnum duos reges pati possit) sic Resp. uno tantum corpore, uno capite ac sole indiget: Navis enim unum requirit gubernatorem, qui si plures quandoque existerent, in summo versaretur periculo. Usque validius adhuc probent ejus necessitatem, exemplum a Romanis petunt. Qui Monarchiam exosi, cum Reges ejecerant, sæpius Dictatorem crearunt, qui solus Reip. præerat, cum reliqui magistratum deponebant.

Hæc quidem præcipua sunt, quæ pro Monarchia adduci solent. Et quis, quæso, non ponderato animo omnia pensitans & recogitans Monarchiæ victoriam denegaret? Diripiamus itaque larvam, & veram nudamque, prout revera est, non specioso fuco illinitam, in medium producamus.

Antiquitatem ejus, credo, nemo inficiabitur. Sed quomodo ab ejus antiquitate, profluit præstantia, non est ut videam: cum inde potius contemnendam & reliquis formis postponendam conjicerem. Antiquiora enim semper non sunt præstantissima: quotidie hominum ingenia magis magisque acuuntur, & subtiliora evadunt. Eodem modo glandium esus, utpote frugibus antiquior, frugibus esset præferendus. Quis nescit Medicinam post morbos inventam. Quia statu divino, & ductu naturæ ad exempla apium &c. argumentantur, respondemus, Deum quidem esse unicum, sed omnia superare, nec in similem vel parem exercere imperium; parem enim habere nequit.

nequit. Quod ad Apes attinet, si consulantur historiæ naturalis scriptores, illi indicant, hunc Regem subditos, ut ita dicam, magnitudine & forma superare: nos vero superiori capite diximus, omnes homines a natura esse pares; par vero in parem nullum a natura habet imperium. Summum argumentum ab Israëlitica gente petitum insolubile putant Monarchiæ fautores. Sed quis dixit, illam ante Saulem sub Monarchia degisse; Judex enim ille multum a Rege differebat, ut patet 1. *Sam.* 8. & quod unus aliquando Judex (dato non concesso) regia potestate iis præfuisset, ad consequentias trahi non posset. hic enim semper a Deo constitutus & inspiratus quibusdam tantum extraordinariis & insolitis temporibus ad defendendam & vindicandam Dei Gentem ab eorum hostibus, fuit delegatus. Imo officio functi, ad privatam redibant vitam. Sic fecit Gideon, *Judic.* 8, 22. & tum a Senioribus regebantur, *Exod.* 18, 21. Imo ex 1 *Sam* 8. *junct.* 1 *Sam* 12. 21, 22, 23. potius contrarium elicitur. Quis immunes peccati Israelitas habebit, imo quam maxime eos, Regem petentes, peccasse puto. Quem in finem alioquin, quam adhuc ut eos deterreret a cœpto consilio, omnia Regum facinora illicita, & mores pessimos, sed tamen solitos iis quasi in tabula vivo colore exhiberet. Et hinc ob causam primum Regem malum fuisse, conjicit Maimonides. Vitia reliquorum Statuum, ubi eo perventum erit, quantum possumus, notabimus. Monarchiam vero minus seditiosam non esse, ut reliquos omittam, unicus mihi testis sit *Schelius*. *Nec ullum genus tumultuum & seditionum est, quod non regna crebrius & frequentius (omnium seculorum fidem appello) quam liberæ civitates senserint. Omnes civiles Furiæ, omnia mala domestica & intestina in Reges conjuravere, nec alla unquam diu stetere, quin turbarent, & horribili tumultu tremerent. Stetere quidem per multa secula regna quadam, non nego, sed non stetere diu tranquilla & inconcussa.* Egregie porro rem egisse, & funestum telum jaculati videntur, ubi majorem majestatem sub hac regiminis forma exercere ostendunt: cum forte obliti sunt, omnem illam majestatem contra naturam esse: (ut jam sæpius) quo minor itaque illa majestas, modo talis sit, ut subditos in officio retineat, & ad obedientiam compellat, eo est præstantior. Justitia modo si colatur quam minime a statu naturali recedendum putamus. Nec stringit, ubi ajunt, justitiam postulare, ut summo summa committantur: summum enim a natura neminem agnoscimus. Natura enim miscuit & divisit dotes; ita huic mediocre, sed

C celer-

celerrimum; alteri acutum, sed lentum, huic quietum, alteri bellicosum concessit ingenium: si vero, verbi gratia, Rex sit bellicosus, nullam belli occasionem prætermittit, sed avide arripit: & licet victor aliquando triumphet, gravibus tamen tributis, quibus belli nervos sustinet, *l. 1. §. 20. ff. quæstion.* civium tenuiora patrimonia onerat & exhaurit: optimas sæpe pacis conditiones ridet & spernit. Hodierna in Suecia tempora sententiam nostram arguunt. Præterea cum quis reliquis eminentioris ingenii inveniretur, quis ei sceptra porrigeret? & si jam esset rerum potitus, & non aliorum vitiis indulgeret, sæpe solium ejus concuteretur. Insuper cum onera cunctos æqualiter pro facultatibus premunt, quare non commoda ad singulos pervenirent. Omitto, probos esse exiguos, Regem itaque improbum magis metuendum; cum hic semper maneat, plurima impune facere, & ante electionem vitia sua celare potuisse. Prosequamur, sodes! Caracallam, nefanda matris libidine flagrantem, quæ ipsi suggerit; *si libet, licet. Salust. bell. Jugurth. Impune qualibet facere, id est, Regem esse*; ita ut merito jugulum legum, venenum libertatis, morum denique lupanar dici mereatur. Nulla ibi æqui bonique ratio habetur: sed dominatur tyrannicum illud, *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas. Oderint, dum metuant. Indigna digna habenda sunt, Rex quæ facit.* Aliaque innumera. Non quidem talia & similia a quoquo Rege semper metuenda facile crediderim, sed quod hac in parte Reges omittunt, Aulici supplent: qui Reges ut Deos adorandos præcipiunt & colendos; eorumque Statuas confugientibus asyla facere non abnuunt. Hi ulterius ficta adulatione Reges corripiunt, deteriores, & in vitia reddunt proniores: omniaque ejus flagitia blando fuco obducunt. *Tac. 14. Ann. 60.* Hi itaque Adulatores turpissimi merito splendida mancipia, eorumque munus, nobilis servitus vocatur; eorum tantum muneribus distincti: non secus ac Romanorum servi, quorum alii aliis lautiora obibant munera *§. 7. I. Injur. l. 15. §. 2. ff. Usufruct.* Itaque Aula pessimo adulationis cothurno si privetur, plurima inveniuntur (si non omnia) pessimis vitiis conspurcata. Non solum vero Aulici adulantur, aliud agunt aliud simulant; sed & ipsi Reges. Hi sæpius dum simulant augmentum libertatis, civitatis, aut publicam utilitatem, tacite in subigendam libertatem collimant: si autem his scopum assequi nequeant, adulatione & blanditiis utuntur, donec eam prostratam pedibus conculcent. Unde vulgatum illud: *Qui nescit simulare, nescit*

regnare: quasi diceretur, qui scelera sua, non virtutes accipi, qui egregia aliorum facta tantum solita, minusque laudabilia facit audiri, Regia majestate indignus est habendus. Nec majoris ponderis facimus, uni facilius, quam pluribus, exhiberi posse obsequium; totamque Remp. unum esse corpus, una itaque indigere anima & capite, ut navis uno gubernatore. Quid hæc sibi velint, non est ut videam: de hac re quoniam aliquid sub Aristocratia dicere fert animus, breviter respondemus; ut Civitas & Respublica ex pluribus civibus conflata unum constituit corpus; ita optimi probatique Viri collecti ejus faciunt animam. Quisque enim ex Optimatibus non habet imperium, sed omnes simul collecti habent. Monarchiæ necessitatem a Dictatore Romano profluere non video. Ille enim plerumque creatus, vel, ut Romani loquebantur, dictus, invenitur, cum Resp. in eum venerat statum, ut salutis publicæ internus immineret, & tunc erat remedium quasi extraordinarium. Præterea quis hunc statum dixerit Monarchicum, qui tantum ad tempus dabatur *l. 2 §. 18 ff. O. J.* Imo rarissime sex menses retinuerunt. *Liv. 23, 29. Flor. 1, 11.* & ab illis erat provocatio, quamvis non ab initio. *Liv. 8, 33. Fest. in Optima lex.* Insuper Tribuni plebis magistratum non deponebant. Et quid hæc omnia? In summo Reip. periculo, si aliter non possit, extrema (quæ aliquando optima, aliquando pessima, ut in Cæsare) quandoque subeunda sunt. Unicum fere adversariorum ictum prætermisciam, ubi dicunt Monarchiam præcidere intentionem volentis invadere imperium; quem exemplo avertemus. Ubi quis valde ægrotus decumbit, metus est mortis, qui facile aufertur necando decumbentem. An damnum itaque & pernicies, quorum metus nos urget, ut auferantur, essent amplectenda? Vide quam valide hæc cohæreant.

Validiora Adversariorum tela retorsisse hisce putamus; videamus jam an ipsis lethale vulnus infligere valeamus. Si itaque admittamus Monarchiam, quam vel Successivam vel Electivam faciunt, alterutra admittenda esset, nisi utraque tot & tantis difficultatibus laboraret, ut merito rejicienda sit. Præcedant ergo rationes, quæ Successivam arcent & repellunt. Inter illas vero minimi ponderis non est, quod ab incerto & dubio partu tota Reip. salus dependeat: optimus enim pater pessimum potest producere filium: præterea, hac admissa, stupidos, stolidos, pueros, imo nondum natos, ad imperium vocari. Omitto successionem Illustrissimis & Nobilissimis Viris omnem spem regnandi (quamvis flagrantissima cupidine a sin-

gulis desideretur) præripere. Non enumero insidias a fratre fratri propter æmulationem & successionem structas: ipsa illa totius terrarum orbis Metropolis Roma manifestissimum in Remo interfecto a fratre suppeditat exemplum. Sileo turpissimos & fœdissimos Adulatores aulicos, quibus Regiæ sobolis commissa est educatio, omnia teneris illis ingeniis indulgere, eaque semper omni ope mulcere, quo magis eorum favorem demereantur: ita ut in plurima vitia & pessimos mores propensa fiant tenera illa & flexuosa ingenia. Et hæc quidem singula, magis itaque omnia, Successivam tollere puto.

Videamus Electivam, quæ iterum duplex. Electio enim est instituenda aut ante, aut post obitum Regis. Defuncto Rege, & successore nondum designato, quis non futura dissidia Reip. imminere videt? Præterquam quod vacuum imperium facile occupatur. Sæpe etiam pessimus, qui scelera tegit, ad Regiam majestatem adspirat, qui modo opibus potentissimus, donationibus & promissis (avida illa & plerisque appetenda, scelerum esca) efficit ut eligatur. Neque mirum hoc in summis, cum & in inferioribus dignitatibus accidere soleat. Cum vero eventus ipsi est secundus, elatus evadit & superbus; libertatem, leges, jura, & omnia populi privilegia pessundat & conculcat. Non vero hoc unicum, defuncto Rege, electionis vitium. Sæpius enim accidit, ut ii, qui Electioni præsunt, digladientur inter se; ita ut non unus, sed plures Regia insignia sibi vindicent, suosque habeant subditos & adjutores: hinc in propria sua viscera sævire cives incipiunt; donec tandem moribunda Resp. hisce langueat & contabescat.

Nondum defuncto Rege, & Regia existente prole, quæ, qualis, expectanda, jam supra vidimus. Quis, quæso, putabit Electores stirpem Regiam, licet non admodum dignam, exclusuros? Quæ si de facto excluderetur, quis præterea crederet (homines enim omnes imperandi avidos agnoscere debemus) eam alteri sceptra concessuram; cum pulcerrima invadendi & retinendi occasio lætis illi arrideat cachinnis; licet ipse Rex nihil efficere experiretur, Regiam eligi sobolem. Imo ea deficiente, quod sine ulla fere opera Rex facere poterit, pessimus sæpe Adulator, favorem Regis nactus, sceptra adipiscetur. Imo Rex dum vivit, omnem omnino arcebit electionem; cum eo designato, subditi omnem, vel saltem debitam, ei obedientiam denegabunt, eique insidiaturi sunt, & successori adhæsuri: Solem enim orientem comitantur, occidentem relinquunt.

Quamvis

Quamvis vero hæc tela, arbitrio nostro, satis valida ad repudiandam & rejiciendam Monarchiam videantur; non nullas adhuc Monarchiæ virtutes & vitia promere est animus (Jura vero Regia, quæ jactant, plurima omittemus) Inter ea præcipua sunt, quod Reges magis noceant quam prosint *Ovid 3 trist. eleg 4, 7*

Nam quamquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosunt potius, plurimum obesse solent.

Præcepta justitiæ sive juris, *Pr. I. just. & jur l. 10. ff. eod.* non observat, laudes majores sed dignas denegat 1 *Sam.* 18. 6. Ita ut vere dixerit *Nepos in Datam. Hæc est conditio Regum, ut casus tantum adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.* Ratio autem hujus rei facile est ineunda: sciunt quippe, si velint, omnes natura esse æquales, recordantur, omnes imperio inhiare: hinc frequentes metuunt motus & perpetuas fere rebelliones. *Quod* vero cum *Dion. Halic. timetur, id necessitate naturali exosum est Tac. 1. Ann* 33 quibus ne intereant motibus (quod ad augendam gloriam & Majestatem miseris subditis persuadent) semper multo milite & satellite, (Gallis *Guarde corps*, nobis *Lyfwagt*) incedunt: & magnos, potentissimos, & speciosissimis titulis ornatos se prædicant, ut repellant & tollant, quos libertatem reducere, aut imperium affectare putant. Exemplum manifestissimum nobis exhibet historia Saulis & Davidis, 1 *Sam.* 18. & 19. Sed quid refero illa, quæ a plurimis licita, necessaria, & honesta prædicantur. Detegamus potius artes, quibus illos, qui divitiis, cognatis, affinibus, amicis, &c. apud plebem pollent, deprimunt propter metum, ne ab illis quicquam (quamvis nihil moliti) detrimenti capiant. Sic Nero interfici curavit Torquatum Silanum, quod Augustum atavum ferebat. *Tac* 15. *Ann.* 35. 1 *Ann* 33 Potentiores Magistratus & collegia discordiis dividunt & dissipant, quibus componendis se præsides offerunt & arbitros: ita ut sensim tali Magistratui vel Collegio præesse incipiant. Quid? quod aliquando promoveant homines, quantumvis facinerosos & infames eos, qui Monarchiæ favent, hos omnibus honoribus & titulis ornant: quoniam semper animum magis gratum expectent, & omnia, æqua sive iniqua, sine ullo fere negotio, impetrent; quam a reliquis integræ & probatæ vitæ evectis: hi si constituantur, in eo quod justum & æquum est, tantum Regi obtemperant, & justitiam, a qua plerumque Reges alienissimi, ei insusurrant: nec ei adulantur, consciti Regem in iis eligendis debitum exercuisse officium: nec ei ita sunt

 addicti.

addicti. Quia præterea non fatebitur, tales si eligantur, & ex infima plebis fece homines, minui & contemni honores, eoque Regum augeri potentiam. Et hæc erat ratio, cur (narrante *Tac. 1. Ann. 80.*) non mutabat Magistratus Tiberius mediocres semel constitutos; *Quia* (inquit) *eminentis virtutes non sectabatur, & rursum vitia oderat.* Et Paulo post: *Ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat.* Sed utinam tantum vilissimos erigerent, dignissimos & libertatis amantes omnibus honoribus exutos in privatam vitam rejicerent; cum eos avitis monumentis privatos in tristi carcere sordere jubeant: imo hos ipsos, quamvis innocentissimos, nonnunquam capitis reos pronuntiare & damnare; & contra, maxime reos convictos, & sententia judicum damnatos, jure suo absolvere, non erubescant. Publice vero tales accusare & damnare non audent, ne innocuum caput innocentiam exhibens a populo (quem largitionibus, bello minus necessario, & spectaculis occupatum tenent, ne revocandæ libertatis memores fiant, eumque magis ut duro jugo assuescerent, *Tac. 1. Ann. 2. Juv. Sat. 10. vs. 78.*) liberaretur, & justissimam suaderet ab eo defectionem. *Horn. ad Boxhorn. 2. Inst. Polit. 3.* Unde pessimum illud axioma commenti sunt Politici: *Nihil injustum quod fructuosum.* Plurima his addere possem, si jura Regia omnia, quæ jactant, ad examen revocarem, sed ne molestus fiam in omnibus Monarcharum vitiis computandis & adstruendis, desinam verbis *Magni Schelii*: *Prætereo* (inquit) *Comitum superbiam, Ministrorum ostentationem, & rapacitatem, Janitorum fastidium. Omitto tantiori ordinis hominibus clausos & obstructos aditus; omnibus difficiles & raros, nec nisi per tot obices, tot gradus contumeliarum.*

Supererunt forte nonnulli, qui me malos & pessimos Reges & Tyrannos, non vero Reges pios & bonos obtrectasse, credunt. Sed o cæcæ hominum mentes! fingis Regem, qualem nullum unquam tulit fere seculum. Aula (ut supra fusius) nimis lubrica lascivia & nequitie referta, ut virtuti insisti posset. Hæc quoque antiquorum fabulæ nos docent, qui optimos suos Reges, ut jam notavimus priori capite, post obitum coluere, & in Deorum numerum retulerunt; sed & eosdem nefandis stupris, injustis odiis, adulteriis aliisque innumeris flagitiis contaminatos legimus. Hæc vero non tantum ex Ethnicis, sed & ex historia sacra constant. Quis pietate superavit Davidem? Quis Regum unquam Deo magis cordi fuit? Qui tamen Batsebam strenuissimi Uriæ uxorem nefando adulterio

co-

cognovit, ejusque maritum interemit. Sapientia quis unquam æquavit vel æquabit Salomonem, 1 *Reg.* 3. 12.? Qui tamen per vilissimum mulicularum gregem a vero Deo fuit abductus. Quis si hæc talium virorum examinet facinora, Monarchiam non vituperabit? & Aulicam illam mentitam, omnique fide, justitia, aliisque virtutibus nudam vitam non aspernabitur? Verissime enim alibi dicit *Herod. Est autem difficile in maxima licentia moderari sibi, quasique frenos imponere cupiditatibus.* Et Pater eloquentiæ *Cicero*: *Maxima illecebra peccandi est impunitatis spes.*

CAPUT IV.

De Democratia

Monarchiam Democratia excipiat, dum Aristocratiam optimam, reliquisque Reip. formis præferendam, ultimo loco videbimus. Non vero animus est plurimas Democratiæ laudes, nec omnia ejus (sed tantum quædam) vitia ostendere, tum quod a paucissimis Politicis laudetur, tum quod nullus hodie verus fere Democraticus Status exstet: sicut nec ejectis Regibus & postea Romæ vera viguisse Democratia, si Senatoriam auctoritatem & potestatem examinemus, videtur.

Supra diximus, hominea societatem iniisse ad recuperandum illud quod per primi Adami lapsum perdiderant, eamque societatem (quæ sine imperio vix concipi possit) contra naturam esse diximus omnes enim a natura pares. Hinc Democratiæ addicti colligunt, id imperium esse optimum, quod penes omnes remanet; nam tum omnes, inquiunt, sunt æquales, omniumque res quoniam agatur, æquum quoque omnes consuli. Præterea majores inveniri sub Democratia opes & divitias affirmant: cives enim nimis onerari tributis, nisi admodum necessariis nesciunt. Hæc & similia adduci solent, quæ brevi, quo poterimus, compendio ad examen revocabimus, & refutabimus, aliaque ejus vitia adducemus. Imperium contra naturam esse, societatemque inductam, ut nempe pariter sese corrigerent, erudirent, eumque perfectionis punctum, quem lapsu amiserant, recipere tentarent, affirmavimus. Libertas itaque naturalis societati utpote infesta, quodammodo erat rejicienda: quam sub Democratia servari volunt. Sed ut verum fatear, non est ut videam:

Sin-

Singuli enim hic singulos habent quasi subjectos: ita ut nullus fere hic remaneat bene agendi stimulus, nam qui favorem plebis, (quæ pessimis sæpe rebus paratur) sibi conciliavit, omnia pro lubitu, æqua sive iniqua, facere potest. Imo natura societatis civilis a Democratia abhorret: stupida & ignata plebs, cui semper maxima votorum pars ob imperitiam, discrepantiam, inconstantiam & levitatem *Tac. 14. Ann 60.* tum quia semper Reip. vacare nequit, tum quia secretiora arcana, Reip. palladium, cum omnes sciant, facilius dimanantur, merito ab ejus administratione & gubernaculo est arcenda. Cum quibus iterum convenit illud *Schelii: Confusa enim turba, ubi neminem nemo audit, ubi omnes omnia possunt, haud quaquam subsistere potest, magisque sine domino certo est, quam in libertate.* Divitias majores sub hac, quam reliquis inveniri, non videmus: & licet invenirentur, an ideo esset præferenda? Aliquando enim nimiæ divitiæ Remp. corruperunt. Quod cives non nimiis onerentur tributis, sed tantum maxime necessariis, nemo negabit: & nimia onera in quacunque Rep. sunt civibus perniciosissima: sed & hæc magis mediocria sub Aristocratia efflagitantur, a quibus nulli, ne quidem ipsi Magistratus majores, sunt immunes: hæc vero tributorum exigendorum potestas plebi concessa, efficit, ne maxime necessaria (plebs enim est avara opumque cupidissima) concedantur. Præterea hic faciliorem ad Monarchiam esse aditum: cum divites adulatione, muneribus, & ficta comitate aures & animos plebis, qui facile in maleficia invitantur, ita demulcere possint, ut apud eos omnia valeant *Liv. 2: 41. & 4: 13.* Omitto sub hac non regere rationem, sed numerum: suffragia enim non ponderantur, sed numerantur. Nec est ut multis explicem, plebem sæpe maximam libertatis conservationem ponere in supprimendis potentioribus, quorum divitiis inhiant: ita ut sub Monarchia unius, sub Democratia omnium imperio simus subjecti: infimus enim & abjectæ plebis homo æqualem cum supremo, (hoc quidem ita est a natura, sed societatis Civilis conservationi repugnat, quæ tantum Idoneos requirit) insanus cum expertissimo, stolidus cum sagacissimo, stupidus cum acutissimo habet potestatem. Et eadem ratione virtute & ingenio præclaro prædit ab omnibus muneribus, licet dignissimi, facile excluduntur. Plebs etiam, quæ semper maximam votorum partem facit, statum Reip. quantumvis optimum, spretum habet, ejusque mutationi studet; adeoque turpissimis factiorosisque adulatoribus & Tyrannis auxi-

liatur

liatur ad invadendum imperium spe beatioris & splendidioris vitæ; nihil enim habet quod perdat *Ovid* 1. *Trist.* 8. Sileo nulli Magistratui a plebe dignam reverentiam præstari; illis enim si non majores, saltem æquales se perhibent, quia eum constituit. Nec ostendere vacat, sub hac Reip. forma Magistratum magis favorem plebis sibi conciliare, quam utilitatem publicam curare: honores enim non pro meritis & favore dignis, sed pretio sæpe indignis conceduntur. Et hæc erat ratio, cur novi Magistratus apud Rom. spectacula exhibebant, & missilia in vulgus conjiciebant; quorum mentio fit §. 46. *I. Rer. Div.* ita ut optime *Horat. lib.* 2. *Sat.* 3. *vs.* 95.

> *- - - omnis enim res*
> *Virtus, fama, decus, divina humanaque pulcris*
> *Divitiis parent, quas, qui construxerit, ille*
> *Clarus erit, fortis; justus sapiens etiam & Rex,*
> *Et quicquid volet. &c.*

CAPUT V.

De Aristocratia.

Accedamus ad Aristocratiam, quam reliquis Reip. formis præferendam diximus. In limine autem monitum Lectorem volo, me non omnem præferre Aristocratiam, sed quandam. Arcendum quippe talem Reip. statum existimo, qui tantum Nobiles & maxime divites promovet, tenuiores & non Nobiles repellit, quamvis ingenio aliquando egregio præditos. Exempla in omni ævo sunt innumera. Talem vero laudamus Aristocratiam, quæ omnes ad Magistratus, honores, & dignitates admittit: eaque ratione æqualitas naturalis quodammodo conservatur. Omnes cum dico admitti, intelligo omnis generis Optimos. Optimi sive Optimates dicuntur triplici modo; nativitate, ingenio, & divitiis: & qui his tribus gaudet dotibus, reliquis est præferendus: qui ingenio & divitiis tantum hunc sequatur: qui tantum dives ingenio vero & nativitate reliquis æqualis, hunc excipiat. Ita ut maximum sub hac Reip. forma requisitum Magistratuum sit ingenium. Si quis forte objiciat mihi præcedentia, ubi diximus, prudentem in stolidum nullum a natura habere imperium: ei respondemus, hoc quidem verum esse; sed

uti-

utilitatem publicam stupidos a muneribus & honoribus repellendos suadere ipse, credo, nobiscum fatebitur: omnes tamen efferendos sperant, quæ spes omnes fovet, & debitum obsequium insusurrat.

Revertimur ad initium. Dixi, ab Optimis Remp esse administrandam. Optimus autem civis hoc sensu non est quilibet diligens paterfamilias, quia eam aut sese recte gubernat; sed Optimus hoc sensu est integer vitæ, qui leges Naturales, Gentium, Civiles, & totam denique Remp similiaque comperta habet. Inter eos vero quis non videt eminere JCtos, qui, si ingenio & morum castitate pollent, ubi eorum copia esse potest, reliquos antevertere debent, juxta vulgatum illud, *Dat Galenus opes, dat Justinianus honores.* Illorum enim est leges interpretari *l. 2. § 5. ff. O. J.* easque nocturna & diurna manu evolvere. Iis enim occupati, & in animam rationemque legum dum inquirunt, optimis ferendis legibus censentur accommodati. Unicus, ut reliquos præteream, mihi testis sit *Imperator noster in Proœm. I. § 7. Summa itaque spe & alacri studio has leges nostras accipite, & vosmet ipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcerrima foveat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam Remp nostram in partibus ejus vobis credendis, gubernari.* Palmam quidem mereri dico; non tamen necesse est omnes Magistratus JCtos esse: cum & Mercatores aliique similes etiam optime Reip consulere possint. Sed hæc latius excutere non vacat.

Diximus, divites tenuioribus præferendos. Illi enim majorem opem & auxilium egenis ferre possunt: minori reditu indigent, cum majores possideant: majori studio videntur defensuri Remp. & libertatem: dignitatem denique sive Majestatem muneris, quæ in sumptu quodam consistit, magis ostentare possunt. At quamvis hæ rationes in genere pro Potentioribus pugnarent, nolumus tamen tenuiores plane (sed tantum regulariter) ab omnibus muneribus exulare. Imo potius (modo ingenio prædīti) omni ope succurramus ut evehantur; sed ad talia tantum munera, quæ illis luculentos reditus suppeditant; quibus dignitatem muneris sustinere possunt. Hi enim evecti Remp. non facile exhaurient; paucis enim vivere assueti sunt. Præterea si semper excluderentur, sæpe novis rebus studerent: præterquam quod ipsa ratio eos admittendos doceat.

Magistratus sub Aristocratia sint annui. Hoc enim maximum libertatis est præsidium, ne tandem elati & superbi imperare assuescant, parere obliviscantur, magisque æquo cives premant. Insuper

per

per Magistratuum vicissitudo omnes prorsus reprimit factiones. Honores enim non sunt continuandi *l. 18 ff. ad Municip.* Omnes quippe cives cum pro rato facultatum pares sint in ferendis oneribus, quid æquius, quam ut etiam pares sint, vel esse possint, in fungendis honoribus. Non me fugit, omnem Magistratum electum præsumi bonum, & nullis vitiis obnoxium: attamen cum hoc fallere possit, male agendi occasio deficit, cum defuncto Magistratu rationes reddant. Si enim male administraiunt, prætextu elapsi temporis dimittuntur, cum alioquin non sine turbis & difficulter removerentur. Si bene, nihil habent quod querantur; similis enim simili jure gaudet: & posterium iterum designari possunt. Non tamen omnis Magistratus sit annuus; sed tantum qui honorem & dignitatem tribuit. Inveniuntur enim munera Reip. obeundo difficillima, & laboriosissima, quæque longam requirunt experientiam & usum. Illi Magistratus quidem annui sunt constituendi, propter dictas rationes: sed non facile mutandi, si rem bene administrent. Nec talia munera uni committantur, sed pluribus, iisque (ut sæpe factum legimus) sibi invicem exosis.

Qualem jam Aristocratiam præferimus, nemo, credo, ignorat. Discutiamus itaque vitia, quibus vulgo laborare prædicatur; iisque subjungamus ejus laudes & encomia.

Inter præcipua numerantur; Resp. cum sit unum corpus, una indiget anima: Verum hæc jam supra sub Monarchia refutavimus: & sequeretur argumentum, si singuli haberent illam potestatem, quam juncti habent. *l. 2. ff. quod cujusque univers. & l. 25. ff. ad mun.* ita ut nullam singuli proprie habeant. Omitto sub Monarchia, ubi hæc adducenda fuissent, Principem in consilium advocare Consiliarios, ut vocantur, intimos: qui sæpius utilitatem Principis Reip. præferunt: præterquam quod Princeps rarissime solida adeo doctrina & eruditione sit imbutus, (quales educantur, ibidem vidimus) ut ipse nesciat, si jam utilitas publica ipsi cordi sit, quid Reip. optimum: Sed plerumque ad proprium respiciunt commodum. Addunt inter plures frequentes oriri dissensus: Sed nesciunt illos dissensus etiam inter Regum consiliarios esse: præterquam quod illi dissensus sint optimi & utilissimi. Tunc enim penitus utilitati publicæ consulitur, cum disserunt utrum e Rep. sit vel non, utriusque enim argumenta investigantur, & tunc optimum eligitur. Nec iste dissensus in odia & inimicitias vergere potest; cum omnes in Reip. bo-

num colliment, quod, functi munere, ostendere debent. Maximum vero (ut ingenue fatear) hujus status vitium est, quod plerumque factionibus sit divisus: quas tamen non facile metuendas existimo, si Magistratus sit annuus; præterquam quod illi factionum fautores, tanquam pacis publicæ perturbatores, sint puniendi. Et quamvis habeat corruptelam, an ideo esset expellenda Aristocratia? ubi factiones enim vigent, species quædam Monarchiæ invenitur, in eamque tandem degenerat: quæ, quibus laborat vitiis, supra ostendisse putamus. Nullius momenti facimus quod dicunt, consilium hic (quod quandoque necesse) non posse capi in arena: Cum & ipsi Principes plerumque huic rei sint impares; & ut occasione Dictatorum Romanorum diximus, si utilitas publica id flagitet, uni ad tempus possit committi: & quamquam plures in consilium adhibeantur, exsequendi actus uni demandari potest, qui omnes repræsentat.

Computemus jam Aristocratiæ Laudes, & selecta Magistratuum officia. Sub hac Libertas naturalis quasi salva servatur: nemo enim hic aliquem habet subjectum, cum omnes, imo ipsi Magistratus legibus sint subjecti: legibus vero & rationi servire, servile non est. *Cic. Cluent. 53. Hoc vinculum est dignitatis, qua fruimur in Rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. Mens, & animus, & consilium, & sententia civitatis posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine legibus suis partibus, ut nervis ac sanguine & membris uti non potest: legum ministri Magistratus: legum interpretes Judices: legumque denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Et quid æquius, quam Legislatores suis legibus teneri. *l. 3. Cod. Testam. & quemadm. l. 23, ff. legat. 3. l. 4. Cod. Ad l. Falcid. l. 4. Cod. R. § 8. I. Quib. Mod. Testam. infirm.* At quamvis leges finitæ sint actus infiniti, tunc judex ad similia procedere debet. *l. 12. ff. R.* Imo libertatem tanquam maximum beneficium erga populum memorat Deus in fronte Decalogi; ubi dicit, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto ex domo servitutis.* Tributa & vectigalia modica, & tantum necessaria erogantur, quæ & ipsi Magistratus pendere debent: & ob illam rationem libentius ab omnibus numerantur, cum compertum habeant, in commune commodum conferri. Imo in genere omnia onera ac privati subire debent, exceptis quibusdam personalibus, ut Tutela, Cura &c. § 1. & 2. *I. Excusat. Tutor.* & hoc obedientes efficit subditos. Sic de belli duce

Liv.

Liv. 2. *Et nos, ut decet proceres, ut Fabio nomine dignum est, pugnando magis, quam adhortando accendamus militum animos.* Magis incitantur ad virtutem milites, qui pro libertate aut vincere aut occumbere volunt. *Cic.* 13. *Philipp.* 3. *Ita vitam corpusque servata, ita fortunas, ita rem familiarem, ut hac libertate posteriora ducas: ita hæc mihi velis, si libera Resp. possit: nec pro his libertatem, sed pro libertate hæc projicias, tanquam pignora injuriæ. Liv.* 6. *Tamen acrius crediderim vos pro libertate, quam illi pro dominatione certaturos.* Et rationem addit *Claud.* 4. *Cons. Honor. vs* 300.

Tu civem, patremque geras. Tu consule cunctis,
Nec tibi. Nec tua te moveant, sed publica damna.
In commune jubes si quid, censesque tenendum,
Primus jussa subi. Tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Ita ut merito hic leges certas & æquas, non incertas ac ambulatorias hominum voluntates & mentes regere quis dixerit. Et hoc salutare in omni Rep. putamus, plurima nimirum non hominum voluntate, sed legum auctoritate dirimi. *Tac.* 3. *Ann* 69. *Nec utendum imperio, ubi legibus agi possit.* Ita ut hi Magistratus revera patres patriæ, tutores & defensores civium vocentur. Eorum officium eleganter nobis exhibet Seneca:

Pulcrum eminere est inter illustres viros:
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa virtus petitur hac cœlum via.

Et simile suadet inscriptio Curiæ Delphensis:

Hæc domus odit, amat, punit, conservat, honorat,
Nequitiam, pacem, crimina, jura, probos.

Quibus adde dictum servi apud comicum Plaut.

Quid id quod vidisti, ut munitum muro tibi visum 'st oppidum?
Si incola bene sunt morati, pulcre munitum arbitror.
Perfidia, & peculatus, ex urbe, & avaritia si exulant:
Quarta invidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,

 Septi-

Septimum perjurium J. Euge. V Octava indiligentia,
Nona injuria, decimum quod pessimum aggressu, scelus,
Hac nisi inde aberunt, centuplex muris rebus servandis parum est.

Rarissime enim Resp. nisi propriis & intestinis morbus concussa & divisa interiit. Hic, quamvis latius aperiatur divagandi campus, vela contraham, & ad finem Dissertationis properabo.

CAPUT VI

De Præmiis & Pœnis legum, & quomodo Lex tollitur.

Non omnes vel plurimas Legum virtutes enumerabo, quæ exstant partim in *l.* 1 2. & 7. *ff. ll.* & alibi, eum actum aliis Dissertationibus repeteremus opus: sed tantum duas præcipuas Legum virtutes præcipuas & vincula examinabimus, præmia & pœnas.

Pœnæ in omni Rep sunt necessariæ, *Gell* 4 16 Ut vigilent subditi, ut vigeat majestas & auctoritas Magistratuum, vide *Josua* 7. *vs.* 20 Ut puniti aliis exemplum præbeant, *l* 6 §. 1 *ff. Pœn.* Quod itaque huic nocet, aliis prodest, & ad colendam justitiam compellit: *oderunt* (enim) *peccare mali formidine pœna* Et denique si grave sit crimen & capitale, Resp liberetur indigno.

Videamus jam brevi compendio, quænam a Magistratu in erogandis pœnis sint observanda. Præcipue observari solet, ut pœna delicto sit conveniens & adæquata; ne si major sit pœna sævus, si minor mitis videatur Magistratus, & ita ejus auctoritas minuatur *l.* 11. *ff. Pœn* Pœna etiam descendat ex lege, ne Magistratus, sed lex punire videatur. Mitiganda autem est pœna, ubi reum in posterum simile non facile commissurum constat: præcipue vero si causa sit dubia. *l* 5. §. 2 *ff Pœn l.* 16 *Cod. eod.* Reus non est facile absolvendus, nec innocens ullo modo puniendus *l.*12 § 1 *Cod. eod* in mitiganda & eroganda pœna aliquando ratio *causæ, personarum, loci, temporis, qualitatis, quantitatis, & eventus* habere solet. *l.* 12 §. 1. *ff Incend ruin. Naufr* Et contra ob easdem causas major potest esse pœna § 9. *I. publ. jud. l* 29. *Cod Ad. l Jul. Adult stupr l.* 16 §. 10 *ff. Pœn. l* 1 *pr. ff Abig* Aliquando tamen innocens honeste & licite puniri videtur: exemplum est 2 *Sam.* 24 huc quoque spectant repressalia.

Præ-

Præterea hic moveri solet quæstio, si nempe plurimi peccarunt, an omnes sint puniendi? Dicimus nequaquam, sed pauci sunt puniendi, ut omnibus terror injiciatur; Vel præcipui tantum auctores: si vero omnes sint æquales, forte vel alio modo lecti puniantur. Plurimos enim puniri Reip. non expedit, & multorum supplicium clades est, non medicina. *Tac. 1. Ann 49.*

Præmia, quamquam abesse possint, nam *oderunt peccare boni virtutis amore*; tamen quodammodo sunt necessaria, ut hisce ad bonum invitentur, & alliciantur *l. 1. §. 1. ff. just. jur.* nam plerumque virtutes propter præmia sectari solent homines, *Juven. Sat. 10. vs. 141.*

- - - Tanto major famæ sitis est, quam
Virtutis: Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas?

Multa etiam & varia circa præmia observanda forent, nisi brevitati studeremus: hæc ergo paucis absolvemus. Circa præmia vulgo notari solent, quod non nisi re maxime præclara gesta, & raro concedantur: rem enim bene gerere omnium est officium, & quod nullum nisi digni civis præmium meretur. Exemplum rei præclare gestæ & præmio dignæ est *1 Sam. 11. vs. 25. 2 Sam. 23. vs. 15, 16. 2 Sam. 2. vs. 6. Genes. 14. vs. 17. 21.* Præmia autem illa debent esse honorifica, non pretiosa; ne Reip. sint damnosa; ex. gr. jus Nobilitatis, Ordo Equitatus, jus aurei Annuli, Triumphus: unde tot coronarum genera; civicæ, obsidionales, murales, navales &c. *Liv. 45, 35. & 10, 7.*

Videamus quibus modis lex tollatur. Inter quos numeratur contraria Legislatorum voluntas; quodcunque enim dissolvitur uti colligatum est *l. 35. ff. R. J. §. 11. I. J. N. G. & C.* Non facile vero mutandas leges docent Politici, ne leves & inconstantes dicantur earum auctores, & ita eorum auctoritas minuatur. *l. 23. ff. ll. l. 2. ff. Constit. Princ.* Sed maneant perpetua, ut tanquam Oracula habeantor. Vide *Orationem Rittershusii, quam Commentario Institutionum præfixit.* Præterea tollitur lex longa consuetudine. *§. 11. I. J. N. G. & C. l. 32. ff. ll.* Noquaquam vero non usu, sed contrario usu, quomodo capienda *l. 32. §. 1. ff. ll.*

Corol-

Corollaria.

I.

Bonæfidei possessor lucratur omnes fructus naturales & industriales.

II.

JCti alio sensu accipiunt legibus solvi, *quam Romani: ubi dicunt, Principem* legibus solutum l. 31. ff. ll.

III.

Princeps omnibus legibus civilibus est solutus.

IV.

In mutuo est alienatio.

V.

Jus Regis non describitur 1 Sam, 8.

VI.

Asyla hodierna omni juri contrariantur.

VII.

Justinianum non calluisse literas, inepte quidam statuunt.

VIII.

Militia togata longe præfertur militiæ armatæ.

IX.

IX.

Israëlitæ exeuntes ex Ægypto & sumentes Ægyptiorum vasa, &c. non commisere furtum.

X.

Trecenti Fabii cæsi ad Cremeram, omnes non fuere ex gente Fabia.

XI.

Jus accrescendi locum habet in omni conjunctione.

XII.

Usufructuarius extraneo usumfructum cedens, nihil agit ratione ejus, cui cessit; sed ratione proprietarii eum amittit.

XIII.

Liberi incestuosi, ex Constitutione Justiniani, haud sunt alendi.

XIV.

Præter expressas in Nov. 89. exhæredationis causas, similes & graviores locum habent.

XV.

Fiscus præfertur Mulieri, etiam ratione dotis.

XVI.

Recte a plurimis gentibus cœlibatus fuit punitus.

XVII.

Lex Regia non est merum JCtorum figmentum.

XVIII.

Inviti Adolescentes Curatores accipiunt.

FINIS.

AAN DEN HEER

WILLEM DUIRKANT;

Als Zyn Ed. tot LEERAER DER BEIDE RECHTEN *wiert ingehuldigt.*

Laet Ciprus Koningin haer tuiten geestig tooyen,
Haer hoofi met kruivend gout en mirteblaên vermooyen,
(Haer hulzel, gis ik, was zo weitsch niet, aen het strant
Toen zy is eertyts op een schulpkar aengelant)
En stoffen op het ooft, wiens weêrgaê niet zal wassen,
Zo lang de wereldkloot zal draeyen om zyn assen.
Laet Mars, op 't briesschend ros gesteegen, als een helt,
Die bekkeneelen maeyt, en verft met bloet het velt,
Braveeren out en jong, gewoon altyt te winnen.
Laet Hy, wiens koets besluwt een stoet van Zeemeerminnen,
Die nu de golven kemt, en strak weêr zwellen doet,
Zyn drietant zwaeyen langs den zilten pekelvloet,
En boogen op een oogst van ingezwolge kielen,
Die alle moesten voor zyn waterstandaert knielen.
Jupyn laet zwetsen, hoe hy reusen, moedig volk,
Heeft door een blixemjacht, gezeten op een wolk,
Gemartelt deerlyk, en (wie hoorde oit grooter wonder?)
Door vuer, door hagel, en gerabraekt door den donder,
Gezmakt heeft in der yl door berg' en rotzen heen,
Vergeefsch was hun gekerm, en vrugtloos hun geween.
Laet, zeg ik, Jupiter op zulke daeden brallen,
En zynen gryzen bol met ydle lof vermallen
Ja; laet de gansche rey der Godheên zich met eer
Vermaeken: waerom niet? Maer wien doch past die meer
Dan u, die wetten staeft, Godspracken hebt gegeeven,
En onder wiens beleit de menschen rustig leeven?
En daerom wort uw lof, ô Themis, ook verbreit,
Daer Febus afgesloofi zyn leên gemaklyk vleit
In Thetis magien schoot, en 't oude wyf komt troosten,
Tot daer hy weêr vergult ontwaekt in 't purper oosten.

Geen

Geen dwingelant, hoe stout, uw heiligdom vermag
Te rammen, dat trotzeert het tintlen van den dag.
Want schoon een aklig rot van uitgelaete zielen
Poogd' door een brulk geweld uw outer te vernielen,
En zuivren tempel, die niet op saffier en gout,
Maer is op deugt alleen, en eerlykheit gebout;
Zo lang als DUIRKANT leeft, de braefste van uw telgen,
Zal geen gevreest herout uw kuischen troon verdelgen.
Zo houdt een schip, door storm op storm geschokt, geschudt,
Terwyl zelf Doris in haer glaeze waterhut
Verschuilt, en de onweershaen al forser op komt kraeyen,
Door 's mans beleit, die weet te zwenken en te draeyen,
Zyn rechten koers, en klampt behouden aen de ree,
Schoon tot den navel toe losbarst de norze zee.
Te recht dan, waerde Vrient, kon ik des Drossaerts znaeten,
Of Vondels grootschen trant met luster evenaeren,
Mogt ik wel uwen roem nu maelen op papier.
Maer schoon myn Zangeres in toon te kort schiet hier,
Verstoor U niet, myn Heer. De blonde Stroomnajaden,
Die in het zilvre nat langs Rhenus oevers baeden,
Verbieden reets uw deugt. Uw deugt bekoort haer meer,
Als Mavors kloekste zoon de glans van kling of speer.
Ik bid, aenzie wat vreugt gepaert met lieve wenken
Haer uit het wezen straelt. Niets kan haer blydschap krenken,
Terwyl zy melden zamt uw lof met schelle keel,
En zingen, dat weêrgalmt des hemels blaeu panneel.
Ik hoor ook, zo ik waen, de Stichtsche mertjes queelen,
En elk om stryt uw oor met zoete toonen streelen.
Belast niet Flora zelf haer fieren maegdenstoet
Uw hooft te kroonen met een frissen roozenhoet?
Ook Themis pronkt uw kruin met groene Dafnesblaêren,
Die niet verzlenzen zal een reex van duizent jaeren.

T. V. G. J. V. A. Sylva-Montanus.

AD EUNDEM.

Nunc triumphali Themis ipsa lauro,
Quæque ni raro solet obtineri,
Sed tuæ curæ meritisque digna,
Tempora cingit.

Clara, DUIRKANTI! documenta, legum
Jura qui primum populis tulerunt,
Indicans, præbes animi Minervæ
Arte potentis.

Nunc Fori tanto Duce Te redibit
Candor; & lites vigili labore,
Mite, compones, miseris juvamen
Præsidiumque.

En! precor, dulci teneat venusta
Te brevi virgo Galatea Sponsum
Grata complexu thalamo cubantem
Oscula jungens.

L. V. D. BERGH.